



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catena Temporum

Andrian, Carl

Herbipoli, 1698

Series VII. Regna & vicissitudines Regnorum extra Europa[m]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65485)

& Principatū per Europā initia 305
quamdiu nutat, mox cedit, Hibernia bello subigitur 1691.

Joanni Sobieski defuncto Poloniæ Regi anno 1697. successit Fridericus Augustus Dux & Elector Saxonix, pluribus Polonicæ nobilitatis suffragiis die 17. Julij electus, & coronatus, frustra Principe de Condycum aſſectis, Gallicæ factionis, æmulis viribus contrā nitentibus.



SERIES SEPTIMA

Regna & Vicissitudines Regnorum extra Europam à Christo nato ad annum 1698.

☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉ ☉
Sæculum I. à 1. ad 100. ☉ ☉ ☉

Herodes Ascalonita moritur anno 13 Christi nati. Filij ejus Archelaus Judææ Rex, Herodes Antipas Galileæ, Philippus Iturææ Tetrarchæ ab Augusto dicuntur an. 2.

Archelaus an. 6. relegatur.

Judææ Procuratores constituuntur.

Herodes Agrippa I, primò per Caligulam Galileæ Rex an 38, mox & Judææ per Claudium an: 41.

Agrippa II. succedit an. 43.

Hoc mortuo Judea iterum Procuratoribus committitur

Parthorum, Æthiopum, Arabum, Armenorum, Cappadocum Reges à vetustis scriptoribus, Sinarum à Neotericis nominantur.

☉☉ *Saeculum II. à 100. ad 200.* ☉☉

Pacoro apud Parthos regnante, bellis civilibus eorum opes atteruntur, facili igitur negotio sub Cosroë II. à Trajano victi sunt.

Trajanus victum Cosroëm II. in ordinem redigit, Parthisque Partamaspatein imponit 112. sed eo à popularibus pulso, Cosroes redit, à quo cum Hadriano formata pax.

Assyria, Mesopotamia & Armenia revocatis ab Hadriano, qui eas liberas esse voluit, præsidibus, Reges eligunt 119.

☉☉ *Saeculum III. à 200. ad 300.* ☉☉

Abagarus Osroenorum sive Edessæ Rex dolo captus à Caracalla 216.

Non est hic ille Abagarus, ad quem Christus litteras dedisse fertur. Abagarus, sive Abgarus fuit nomen commune omnibus Edessæ Regibus.

Zenobia Palmyrenorum Regina Syria potitur & Phænicia.

Alexander Severus Hebræos à Præfecto, qui Syrus Archisynagogus diceretur, regipatitur 224.

Artaxerxes ter victo Artabano, Parthorum Rege, regnum transfert ad Persas 227.

☉ *Sæcul. IV. à 400. ad 500.* ☉

Extinctâ apud Sinas Hanâ, quæ plura sæcula imperium tenuerat, regnat Cyna familia 264.

Servi Sarmatarum Dominos ex Sarmatia expellunt, eâque potiuntur 334.

Hannibalianus Constantini Magni ex fratre nepos ab eodẽ Rex Ponti dicitur 335.

Imperij Romani finibus ab ortu ad Indos, à meridie ad Æthiopes, ab Aquilone ad Sarmatas, ab occasu ad Oceanum Britannicum, propagatis, plurima regna in Asia, Africa & Europa extinguuntur. Sapor II. Hormisdæ II. filius Persarum Rex, Romanis infestus, opes Persicas auget, potitur Armaniâ 368.

☉ *Sæcul. V. à 400. ad 500.* ☉

Isdegerdes hujus nominis I. apud Persas, cui Arcadius moriens filij Theodosij tutelam permisit 408.

Usai familia apud Sinas regnat 419.

Bonifacius Dux bellicis laudibus clarus à Castino Valentiniani Duce læsus, ab eo deficit, & Africâ occupatâ Vandalos Albanosque in eam evocat ex Hispania; sic Africa facta est Vandalorum ditionis 427.

Colchorum sive Lazorum Reges in Asia hoc sæculo memorantur.

Sæc.

☉☉ *Sacul. VI. à 500. ad 600.* ☉☉

Saraceni populi ex Ismaele originem, à Sara Abrahami conjuge nomē trahentes, ex Arabia erumpunt in Syriam, Palestinam & Phœniciam hoc sæculo ineunte.

Turcæ, ut liquet ex Plinio Scytharum populi è Portis Caspiis Armeniam & Cappadociam invadunt 516.

Belisarius victo & capto Gillimere Regno Vandalorum in Africa finem imponit 533.

Africa in septem Provincias divisa & Imperio subiecta 534.

☉☉ *Sacul. VII. à 600. ad 700.* ☉☉

Heutay apud Sinas diviso regno dominantur 628.

Mahonetes primò servus, mox Vates, deinde Dux exercitûs in Arabia moritur 631.

Huic succedit Abukam & post eum Omar sive Haomar, qui Persidem subigit, mox Syriam & Ægyptum.

Hic primus dictus est Calipha.

Abderamus I. Miramolinus in Mauritania Tingitana fugâ evaserat cum affeclis Abdallæ Caliphæ Damaseni interempti.

Miramolinus idem est ac Princeps, seu caput fidelium.

☉☉ *Sac. VIII. à 700. ad 800.* ☉☉

Ullit Saracenicæ dominationis fines latius

tius extendit, & Imperii sedem iterum figit Damasci.

Saracenis Haly sectatoribus impellentibus, Maurosores Chorazani dominos occidunt, Marvanum Calipham cædunt. 752.

Inde, sub Muhamad Abubalas, Saracenorum Imperium in tres partes dividitur, quarum primam Abubalas tenuit in Perside, Salim Ægypto præfuit, & Abdalla Syriæ.

Hinc stirps Bilæ apud Persas celebris.

ArrakidBila, sive Aaron, Carolo Magno amicus.

☉ *Sæcul. IX. à 800. ad 900.* ☉

Abuezar Maracem inter Saracenos illustris, utpote qui octo Regibus domitis, Principes eorum urbes victor expugnavit.

Creta à Saracenis occupatur. 822.

Jacob Leys celebris apud Saracenos Persas regit. *Post hunc diu silat Persarum historia.*

Celeberrimi erant hoc sæculo Babylonius, seu Baldacensis, & Ægyptius Calipha.

Hæc Arabicâ voce, quæ successorem, vel heredem significat, nempe Machometis, primò appellatus est supremus Saracenorum Princeps, mox & alii minores.

☉ *Sæculum X. à 900. ad 1000.* ☉

Mustaphi sive Mustapha Babyloniorum Calipha, sive Amiras victo Ægyptio, totum

310 *Regna & vicissitudines*
tum fere Saracenorum Imperium sibi sub-
jicit 908.

Calecuti apud Indos sedem habere cepit
Saracenus Amiras 909.

Sunga familia apud Sinas regnare inci-
pit 923.

Perfarum Reges Dau'es, & Boytes è
stirpe Darij Hyftaspis à 936.

Historia Persica iterum deficit.

Ingas Peruvianos Cufchi sedentes ab
hoc sæculo numerant Americani.

☉☉ *Sæcul. XI. à 1000 ad 1100.* ☉☉

Turcæ initio sæculi Persis infesti, mox
ab eorum Calipha sub quo meruerunt, def-
ciscientes, & Saracenis debellatis Tan-
grolipice Duce, eorum sectam cum regno
suscipiunt 1038.

Turcæ dividuntur in Orientales & Occi-
dentales 1060.

Hierosolyma expugnatâ Cruce signatâ,
ejus regnum Gothofredo Bullionio, cujus
potissimum virtute receptam esse consta-
bat, omnium consensu deferunt 1099.

Antiochia Boëmundo, Edessa Balduino
Galilæa Tancredo cesserunt.

☉☉ *Sæcul. XII. à 1100, ad 1200.* ☉☉

Corasini in Perside 1139

Noradinus è Turcis Occidentalibus Sy-
riam occupat 1143.

Regnorum extra Europam 311

Salachinus è Turcis Occidentalibus

Ægypto potitur 1178.

Eruptio Tartarorum & plures per eos
provincia Septentrionis occupatæ 1168.

Cypri regnum jure permutatum in Hierosolymitanum 1191.

☉☉ *Sac. XIII. à 1200. ad 1300.* ☉☉

Alexius Comnenus Trapezuntini Imperij fundamenta jecit 1203.

Captâ Constantinopoli Balduinus Imperator, Venetis Cretam, Jonij, & Ægei maris insulas, Bonifacio Montisterratensi Thessaliæ regnum, alijs alia præmia virtutis attribuit. 1204.

Chingiscamus Tartarus, Chorasmiis domitis regnat in Perside 1227. & post eum Zagathay, sive Hallon.

Mamelucchi in Ægypto regnant 1245.

Tartari Sinas occupant 1278.

Alatino Sultanorum Iconij ultimo extincto 1290. Turcarum regnum in septem Dynastias dividitur.

Cassanus Tartarus 40. Saracenorum millibus in Syria cum Sultano Ægyptie profligatis redit in Persidem 1292.

☉☉ *Sac. XIV. à 1300. ad 1400.* ☉☉

Othomanus Ortoguli filius domitis alijs Turcarum Dynastis Prusam, magnamque Asiæ partem subigit 1301.

Man.

Mansit deinde omnibus Turcarum Regibus Othomani cognomen.

Gempfa I. Parthorum Sultanus, victo Carbantare Tartaro, potitur Perside ab anno 1350. ad 1390.

Talminga familia pulsus Tartaris regnat apud Sina 1368. *Martinus.*

Tamerlanes Tartarus 1391. fugatis Parthis suos reducit in Persidem.

☉ Sac. XV. à 1400. ad 1500. ☉

A duobus Tamerlanis filijs Mogolis & Samarchandæ regna initium habent 1406

Gempfa II. victis Tamerlanis filijs, Parthos iterum Persis imponit 1407.

Uffimcaffanus I. Turcarum, potitur Perside 1458.

Mehemetes II. Trapezunte, universaque Chalcide armis domitâ Trapezuntinum imperium evertit.

Lusitani Brasiliam Americi Vespucij industriâ lustratam armis occupant.

☉ Sac. XVI. à 1500 ad 1600. ☉

Ismaël Sophi Turcas pellit è Perside, eamque sibi subigit 1501.

Ameter Saracenus Monachus assumpto Seriphii nomine, Fessæ, Marochii, & alia Mauritanix regna occupat, mox victo Tomumbejo Mameluchorum, in Ægypto, regno finem imponit 1517.

Mexi-

Mexicum per Cortesium subigit Castellanus 1519. & Petrus Pazzarus Peruvia potitur 1525.

Lomellini Genuenses Patritij Tabracæ insulæ ad Africæ oram Domini fiunt an 1540
Arabia felix à Solimaño occupatur 1570.

☉ ☉ *Sac: XVII. à 1600 ad 1698.* ☉ ☉

Abdemelechus Marochij & Fessæ regna suæ ditionis facit 1575.

Batavi in Oriente magnas insulas, & plures Regulos armis subigunt.

Bufferius & Xequus Marochi & Fessæ regis filij, Hametis Patris regna dividunt 1603.

Tartari ex familia Ta Scinga Sinarum regno potiuntur 1644.

Batavi à Lusitanis Brasiliâ expulsi 1654.

Tasilettus Fessæ & Marochi regna iterum jungit.

Æthiopum Reges nunquam interruptâ serie, adhuc perseverant, omnium fortasse antiquissimi.



SERIES OCTAVA.

Bella memorabiliora à Christo nato ad 1698.

☉ ☉ *Sæculum I. à 1 ab 100.* ☉ ☉

Augustus Imperator ducibus Tiberio, & mox Germanico, rem Romanam in
Dd Dal-